

VITA SANCTI GUALTERII SEU GAUTERII

ABBATIS ET CANONICI STIRPENSIS IN DIOECESI GALLIARUM LEMOVICENSI.

AUCTORE MARBODO

Andegavensi archidiacono, postea episcopo Redonensi in Britannia Armorica.

(Acta Sanctorum Bolland., Maii tom. II die, 11 pag. 701.)

COMMENTARIUS.

1. Gaufridus, cœnobita monasterii S. Martialis Lemovicensis ac prior Vosiensis cœnobii, libro I Chronici, c. 12, describit regnum Anglicanum ad Guilielmum Conquestorem delatum, anno scilicet 1067, additque eo sæculo floruisse tres viros sanctitate illustres, quorum primus nominatur S. Odilo Cluniacensis, anno 1049, vita functus, cujus Acta dedimus ipsis Kalendis Januarii, Dein subjungitur « Gauterius Stirpensis, cui ægrotanti per hiemem desiderata fraga præter morem divina præparavit clementia. » Postea tertius additur, Robertus, qui Casam-Dei ædificavit; cujus Acta illustravimus ad diem 24 Apr. Idem Gaufridus c. 15 agit de sanctis in episcopatu Lemovicensi præclarioribus; ubi inter alia refert ista huc spectantia: « Gauterium Stirpenses honorant, qui moderno tempore actu et miraculis gloriosus apparuit, » id est sequenti post obitum S. Gualterii, quo florebat Gaufridus scriptor. Alia in Chronico S. Maxentii sive Malleacensi de S. Gualterio leguntur: ac primo de ejus obitu ista traduntur: « Anno 1070, dominus Gauterius, abbas et canonicus Ecclesie S. Petri Stirpensis, dormivit in pace æterna, quinto Idus Maii. » Dein ad annum 1091, ista habet: « Eodem anno benedictio facta cœnobii S. Petri Stirpensis, et festivitas B. Gauterii instituta est celebrari de transitu. » In Vita B. Israelis, canonici Doratensis in Marchia, a Philippo Labbe inter, Vitas sanctorum ad Aquitaniam spectantium edita, hæc inseruntur: « Hujus sanctissimi viri discipulus exstitit sanctus Gauterius, vir pietatis et misericordie operibus redundans; qui cum Doratensis Ecclesie esset canonicus, Stirpensis abbas a Deo institutus est. » Mortuus est « B. Israel II Kalendas Januarii anno Domini millesimo decimo quarto. »

2. Ex hæcenus relatis liquet primo tempus vite ac mortis. Videtur natus circa annum nongentesimum nonagesimum, et circa obitum B. Israelis pervenisse ad annos 24 ætatis sue; et dein adhuc aliquandiu vixisse in dicta Doratensi Ecclesia, ac postea in Stirpensi collegio seu cœnobio floruisse; ibidemque creatum abbatem sive rectorem aut præpositum anno 1034, in qua dignitate vixit annos octo et triginta: ac tandem, cum septennio cæcus fuisset, plenus dierum et meritorum senex, mortuus est an. Christi millesimo septuagesimo, annos natus circiter octoginta. Secundo constat ex Chronico S. Maxentii, S. Gualterium mortuum esse « quinto Idus Maii, » eodemque die celebrari festivitatem de transitu ejusdem: quod ex Chronico Lemovicensi confirmant Sammarthani tomo IV Gallie Christiane, pag. 850, ubi agunt de monasterio Stirpe, in diocesi et ditone Lemovicensi sito; eundemque diem venerationis nobis indicavit Joannes Collinus in Catalogo submisso. Saussaius in Supplemento Martyrologii Gallicani, videtur valde tenuem hujus sancti habuisse notitiam, dum ad diem tertium Idus Maii ista solum habet: « In Aquitania S. Galtheri abbatis. » Præterea « S. Galtherus, abbas Stirpensis in diocesi Lemovicensi, eximie sanctitatis vir; » inscriptus est ad 13 Aprilis ms. Calendario Ordinis S. Benedicti apud Præmonstratenses Antuerpiæ in cœnobio S. Michaelis asservato. Sed illud neque antiquum est, neque cum magna prudentia scientiaque collectum. Gabriel Pennottus in Historia^{ord.} clericorum Canonicorum, l. II, c. 23, n. 14, ex unico cœnobio duo facit, dum asserit « in Lemovicensi episcopatu esse monasteria canonicorum, primum S. Galterii sive de Stupeno, secundum S. Petri Stirpense, » quod unum idemque est; atque etiamnum esse ordinis S. Augustini abbatiam asserunt Claudius Robertus et Sammarthani supra citati: vulgo, l'Esterp in Marchia Lemovicina, sex leucis Dorato, Lemovicibus octo. Est præterea in finibus diocesis Bituricensis, supra Creusam fluvium prope Argentonium, S. Gualteri nomina Parochia et oppidum, ubi illum patronum coli existimo.

3. Et hæc sunt quæ hæcenus edita in lucem de hoc sancto reperimus, quibus adjungimus alium hæcenus absconditum thesaurum. Habemus nos codicem membranaceum in quo continentur Vitæ aliquot sanctorum, a Marbodo archidiacono Andegavensi conscriptæ; ergo ante annum 1096, quos is creatus est episcopus Redonensis, et hoc ordine recensentur, S. Florentii martyris, danda 22 Septembris; S. Licinii episcopi Andegavensis, illustrata ad diem 13 Februarii; S. Magnobodi, etiam episcopi Andegavensis, edenda ad 16 Octobris, S. Gualterii Stirpensis, quam modo damus; S. Roberti abbatis Casæ-Dei, ad diem 24 Aprilis excusa. Passio SS. Felicis et Adæucti, danda 30 Augusti; et dein adduntur varia ejusdem poemata, quorum aliqua indicantur a Sigeberto De scriptoribus ecclesiasticis, c. 138. Est hic codex valde antiquus, ut videatur aut tempore Marbodi et forsitan ejus cura diligenter exaratus, aut saltem non diu post ejus obitum. Allegat in Prologo « priorem Vitæ S. Gualterii scriptorem, » ex quo seligit, « quæ ei ad rei pertinere visa sunt dignitatem; » quomodo etiam Vitas S. Licinii et S. Roberti jam editas expolivit. Forsan erit qui priorem Vitam nanciscetur, et, si viderit operæ pretium, edet. Appellatur in hoc scripto Gualterius, ab aliis Gauterius, Galterus, et Galterius.

INCIPIIT VITA

PROLOGUS.

1. Beati Gualteri vitam scribendam suscepi, non quidem facultatis meæ quæ parva est, vel meritorum quæ nulla sunt, confidentia; sed obedientiæ potius et charitatis intuitu: quo et religiosorum fratrum petitioni non desim et plurimorum utilitati deserviam. In quo et mihi sub ope Christi fore non dubito partem mercedis, si ex meo labore et honor Deo et legentibus aliquid emolumenti provenerit. Neque enim fieri potest, ut ex frequenti honorum auditu nemo ædificetur: fieri autem potest ut vel presentibus vel futuris generationibus ex hac relatione ad multos sanctæ imitationis fructus perveniat. Siquidem et in hoc se debet fraternæ dilectionis eius extendere; ut prodesse velimus et ignotis, prodesse velimus etiam nondum natis. Hac igitur intentione oblatum suscepi negotium, ad quod explendum necesse mihi est ejusdem sancti precibus adjuvari, quatenus quæ dicenda sunt breviter et dilucide, nec inornate omnino, valeam explicare. Nam si etiam in fictis vel nugacibus dicendi commoditas obtinere solet animos auditorum; multo amplius in veris ac necessariis studendum, ne vitiosæ orationis improbitas susceptæ causæ, quod absit! minuat dignitatem. Quis enim placere contendat rusticitate sermonis? Enitar ergo pro viribus hanc in dicendo mediocritatem servare, ut nec abjecta, nec nimis elaborata videatur oratio; quoniam æquam utrumque habet offensionem. Præterea ne sit superflua vel obscura, quorum altero tedium, altero odium solet comparari. Volo autem a lectoribus indulgentia precibus impetrare, ut bono animo huc accedat, id est, non ut calumniosus aut venator verborum; sed defensor potius veritatis, et dictionum amicus interpret. Quod si etiam mihi, vel ex imperitia vel ex infirmitate, minus implere promissa contigerit, non difficulter ignoscat; quoniam et infirmitatem meam humana conditio, et imperitiam excusat obedientiæ supradicta devotio. Neque vero cuncta, quæ apud priorem Vitæ hujus scriptorem reperjuntur, exsequenda judicavi; sed ea tantum, quæ ad rei pertinere visa sunt dignitatem. Quisquis enim circa viles sarcinulas occupatur, videtur id facere penuria mellorum, presentim enim et bona quædam prætereunda sint, ubi mellorum abundantelectio. Quædam vero strictius et quædam latius explicabo, prout quodque plus minusve ponderis habere visum est. In quorum ultimo me contra brevitatis rationem

(78) Taurio fluvio in Lemovicibus ortus, Vigenne ibidem æque adhuc tenui, sequitica supra ipsam urbem Lemovicensem jungitur. Hunc quatuor pontibus instratum tabulæ exhibent; videant

A facturum nullas existimet; neque enim necessaria, sed ea tantum quæ vacant, lex brevitatis excludit. Jam si hæc satis sunt, ad narrationem properemus.

CAPUT I.

Ortus, studia virtutum et scientiarum. Migratio Stirpum.

2. Gualterius igitur, natione Aquitanus, genere consularis, ortus est ex parentibus honoratis, patre Raimundo, matre Gualburge: cujus maternus proventus, de Francorum nobilitate descendens, tribus non infimis Aquitanicæ urbibus imperavit. Quæ tantæ fuisse traditur abstinentiæ, ut in sorte posita conjugali, a sanctæ viduitatis proposito solo habitu videretur distare. Sumptus et ornatus et delicias matronarum ad cultum potius interioris hominis transferre curabat, prudenter attendens nil prodesse temporalem gloriam perituris. De bonis ergo temporalibus hoc tantum sibi parens, quod natura sufficeret, cætera cuncta in usus pauperum libentius expendebat. Quæ quoties ad debitum conjugale solvendum, solo scilicet proli desiderio, traheretur, ingenitæ voluptatis offensam, sequentibus evestigio lacrymis et orationibus expiabat. Unde factum ut a Deo in somnis per angelum visitata, secundum animi sui votum, non tam possessionum quam sanctitatis hæredem conciperet: cujus ad custodiam, ab ipso matris utero, eundem angelum deputatum, evidenti postmodum miraculo claruit: quod non alienum videtur breviter recitare.

3. Nam dum eam vir suus, ad locum quem idoneum parituræ delegerat, cum equitatu deduceret; jamque vel itineris longitudo, vel tarditas profectiois noctis tenebras viantibus induxisset, equus, cui matrona insederat, alacri gradu quam noverat viam carpens, obvium Taurionis (78) fluvii pontem, primus ascendit. Cumque aliquam partem longissimi pontis emensus, ad ignotum præcipitium pervenisset, quod scilicet exundantis fluvii rapidus vortex, divulsis ac disjectis tabulatis, recens effecerat: mirum dictu! tanta facilitate pertransit, ut nullam prægnantis femine mens ignara saltem ex metu molestiam pateretur. Incolæ quidem loci, tabula semipedali rupta, partes commiserant: sed quæ nulli pervia quadrupedi, solos pedites non absque cautela et periculi metu transponeret. Secutus post modicum comitatus, dum stagnula explorat, disci-

autem regionis pariti, qua parte sic stagnat ut longissime ponte opus habeat, qualis hic describitur.

men agnovit, dominamque absorptam credentes, A
mæstis ululatibus inclamarunt. Sed cum se illa in-
columem mutuis clamoribus indicasset, gaudio sunt
simul et stupore repleti; deinde expeditos equos
præcipitantes in gurgitem, ipsi per angustum tran-
situm vix repentes, natatu difficili traduxerunt.

4. Hoc itaque signo pueri sancti præcommendata
nativitas gaudium multis inexit, ac futuri cujusdam
magni boni præsagium. Quod si quis ad prægnantis
meritum referre maluerit, sic quoque clausi pigno-
ris gratiam credimus commendari: nam quorum
fuisse commune periculum, horum etiam libera-
tionis miraculum sit commune; causa tamen appa-
ret major in altero, quoniam matri nil tale contigit
ante conceptum. Sed et sequentis vitæ illius prove-
ctio, quia superavit et matrem, videtur sibi præce-
dens miraculum vindicare. Nam ut a primis ejus
annis exordiar, pueritiam ipsam ac juventutis tem-
pora sic peregit, ut jam tunc fieri posset senibus in
exemplum. Cum enim post teneræ educationem in-
fantie, sicut plerique nobilium liberi solent, in stu-
dium litterarum missus esset; ibi statim ingenii
singulis vivacitas, et elegans suavitas morum la-
tere non potuit. Obscura sententiarum intellectu fa-
cili comprehendens, tenaci memoriæ commenda-
bat: nec sola docentis auctoritate contentus, ratio-
nis consulebat examen de singulis, brevique post
tempore tam rudimenti quam et ætatis mensuram
excedens, cum ad auditorum exemplar similia multa
conquireret, ut ita dixerim, plus quam docebatur
discerebat. Neque vero, sicut fieri solet, indignit
aliquando verberare coerceri, cum ei spontaneus amor
scientiæ studii plus augetet. Non illum avocavit lu-
dus aut nugacitas puerilis, quo minus libris aut
pugillaribus vellet incumbere. Interea sub profes-
sione discipuli, morum quoddam magisterium exer-
cebat; turpe nimis existimans, si verborum leges
addiscens, utiliores multo vivendi regulas ignora-
ret. Cavebat ergo turpia, non solum operum, sed et
verborum, nec quidquam facile proferebat, in quo
non aliquid utilitatis attenderet. Iram et invidiam,
ac matrem utriusque superbiam jam noverat abhor-
rere, et vel levi cujuslibet detractioi aurem nega-
bat et linguam. Subdebatur inferioribus et genere
et scientia, omniumque etiam in sæmulum pro-
vocabat affectum. Satis omnibus jam patebat, hanc
puero conversationem, non a natura, sed gratia sic
disponi. Sensit Turonensis Hervæus (79), cujus tunc
fama sanctitatis vigeat, cum forte transiret per
locum, indicavitque astantibus quid in illa jam æta-
tula imitandæ perfectionis lateret. Nam ut majora
conjectamus ex minimis, sub scamno, cui se idem
Hervæus preces facturus acclinaverat, puer deli-

tuit, laudabili sorto cupiens ex ore tanti viri sanctæ
deprecationis formam subripere. Sed, sicut postea
ipso indicante compertum est, absque ullo verborum
strepitu, sanctus ille multo efficacius lacrymis et
gemitibus exorabat: quam formam et istum post-
modum secutum fuisse accepimus. In hoc ergo par-
vuli jam tunc non parvipendenda videtur intentio,
quod dum aliorum licentia puerorum occasione ve-
nerandi hospitis abuteretur ad ludum; hic solus
maturitate consili religiosi viri, brevem licet præ-
sentiam, sibi præterire non est passus inutilem.
Gaudebat Scotorensis ecclesia (80) tanto felix alum-
no, et quem erudiendum susceperat, egregiam sibi
fore præsumebat doctorem.

5. In hoc ergo studio decursa pueritia, robustio-
res juventutis annos ingressus, majora cepit virtu-
tum exercitu meditari; nec, sicut plerique solent,
proclivem in deteriora ætatem otio dedit aut luxui.
Sed idonea jam militiæ Christianæ laboribus mem-
bra, armis justitiæ, contra spirituales nequitias,
fortiter pugnaturus, instruxit. Et, ne qua forte sibi
nocere posset callidi hostis subreptio, fortitudini
juxit prudentiam, qua non solum actus caveret il-
licitos, verum etiam causas omnes oportunitate-
que peccandi sibi penitus amputaret, sapienter in-
telligens virionibus castrorum spiritualium tutiorem
expetendam esse quam gloriosiore victoriam. Aliud
est enim pro vita, aliud pro gloria dicere: nam cum
sit egregium in promptu positum peccatum decli-
nare et transgredi nolle, cum possis; est tamen se-
curius ipsam peccandi fugere potestatem: hæc etc-
nim cautela neminem unquam fefellit, in illa autem
experientia plurimi corruerunt. Hac igitur ratione,
pessima vitiorum germina facile debellavit. Ardorem
quippe libidinis (quo maxime periclitatur adolescen-
tia, quando inexpertus ante corporis motus incau-
tis mentibus blandæ suggestionis infligit aculeos,
jejuniorum castigatione et orationis instantia ac
perpetuæ castitatis amore) in ipso, ut ita dicam,
conceptu, antequam oriretur, extinxit. Beatus
plane, qui tenuit et allisit parvulos iniquitatis ad
petram. Pecuniæ cupiditatem ac turpis avaritiæ
sordes, quo vitio pene nullum est ab hominis di-
gnitate remotius, non eolum ipse nunquam est di-
gnatus admittere, verum etiam in aliis propriæ li-
beralitati exemplo aut extirpavit penitus aut de-
trivit. Fratribus cum quibus vivebat omnibus puram
exhibebat dilectionem, et eorum nihil a se alienum
putabat. Studebat imitari speciales singulorum vir-
tutes, ut in se unum bona omnium convasaret. Ne
solum ex aliorum virtutibus, sed, quod mirum vi-
deatur, etiam proficiebat ex vitiis, cum has sibi ad
imitationem, illa vero proponeret ad cautelam.

(79) Hic videtur esse Hervæus Thesaurarius S. Martini, qui ecclesiam S. Martini, quam S. Perpetuus ædificaverat, anno 903 combustam reædificavit, uti diximus ad Vitam S. Perpetui episcopi Turonensis 8 Aprilis, num. 4.

(80) Videtur Doratensis Ecclesia dici in supra

allegata vita B. Israelis, cujus ibi dicitur discipulus fuisse et canonicus Doratensis. Notatur in Mappe geographicis, locus Dorat, haud procul a dextra ripa Vartampæ, ubi hic Sevam amnem suscipit. Fortasse antiquitatis affectatione quadam, exoletum pridem nomen, nescio unde, assumpsit auctor.

6. Impatientiæ stimulis agitato ac spiritu fororis effrenes, tranquillitate animi et verborum suavitate vel mitigavit, vel toleravit. Unde factum est, ut abbatem loci (81), bestiali feritate in fratres immoderatus sævientem, dum blande placare tentat, magis accenderet adeo ut nimium pertinax miser senis furor, simplicem sancti juvenis correptionem ad sui contemptum interpretans, moliri ei insidias non cessaret, et de insonte, tanquam de rebelli quæret ultionem. Cedendum itaque temporis arbitratus, locum dimisit, demigravitque in castrum, quod Confluentium (82) nominatur, ubi eo tempore generis sui nobilitas plurimum excelebat; in quo demoratus ad tempus, non solum domesticis ac municipibus, verum etiam finitimis plerisque, vitæ sanctitate et prærogativa scientiæ brevi innotuit. Unde et Stirpensis Ecclesiæ clerus, quæ supradicto castro vicina est, cui et divinitus debebatur, frequenti ejus colloquio delectati, multis eum precibus in suæ communitatis collegium asciverunt: spem scilicet hanc foventes, ut, si quid abbati suo humana sorte contingeret, hunc sibi Patrem ac doctorem unanimiter postularent. In quorum ascriptus collegio, tanta erga singulos discretione se gessit, ut cum omnes eum communi amore diligere, quisque tamen optime de se meritum æstimaret.

CAPUT II.

Peregrinatio Hierosolymam. Miracula in itinere patrata.

7. Interea, cum processu ætatis, virtutum sibi succedentibus incrementis, quamvis, etiam inter suos advenam se et peregrinum, sicut omnes Patres antiqui, reputaret, peregrinari tamen Jerosolymam, sanctorum locorum desiderio ductus, decrevit, ut quod spiritualiter de Christo sæpe cantaverat, etiam corporaliter adimpleret: « Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus (Psal. cxxxii, 7): » simul etiam, ut quoniam sibi pro fide Christi pœnas et mortem a manu carnificis ratio temporum denegabat, ex itineris necessitate per tribulationes et angustias quoddam sibi martyrium inveniret; unde contigit, ut qui pro Domino, pati graviora decreverat, majorem a Domino gratiam mereretur. Testantur hoc non parva nec pauca miracula, quæ pro ipso vel per ipsum in eadem peregrinatione Christus ostendit. Quorum aliqua recitabimus, ex quibus cætera poterunt æstimari. Navigante eo cum sociis itineris per Adriaticum sinum, qua Jerosolymam tendentibus transitus patet, tanta repente tempestas incubuit, ut in desperatione vitæ triduo continuo ventis ac fluctibus jactarentur. Sed cum imminens periculum orationis instantia depulisset, apprehenso vix littore, circumquaque dispersi, qualiscunque victus necessaria disquirebant: quippe qui diuturno

mortis metu confecti, tempestatis etiam vexati violentia, inedia quoque longa tabuerant. Sed tanta regionis contigerat solitudo, ac sterilitas arenarum, ut nec labor humanus, nec naturæ fecunditas illis in locis gustabile aliquid protulisset. Frustrato ergo cæterorum labore, atque iterum omnibus de famis tempestate perterritis, soli beato viro fidei suæ constantia mirabili virtute respondit. Ecce etenim ignotæ formæ volucris, ubi sanctus in parte solus substiterat, placido volatu allapsa, ante pedes ipsius immanem piscem deposuit: quem cum solus levare non posset, adhibito secum uno qui proprius stabat ex socite, divinæ largitatis obsonium, gratias Domino referens, deportavit ad navem. Mirati sunt socii piscis magnitudinem: sed cognito quid evenisset, majori eos admiratione perculit insoliti ordinis magnitudo: vere enim mirandis meritis contigerat extra morem, ut recens maris præda esurienti per alitem plueretur e cælo. Sed qui quondam sub lege positus mirabiliter pluerat alitem, nunc quoque sub gratia posito servo suo mirabiliter pluit piscem: minus quippe videtur insolitum, si avis, quam si piscis labatur ex aere. Stupentes ergo qui aderant ad tantæ virtutis aspectum, et ex miro eventu mirandi hominis merita perpendentes, flexis humo genibus adorarunt: et quem eatenus sanctum habuerant, amodo quoque clarum ac magnificentum habuere; nec immerito antiquis eum Patribus comparabant, in quo viderent antiqui miraculi speciem relucere. Pavit olim Dominus Eliam per corvum, nunc quoque et istum et socios iterato exemplo per alitem pavit: et licet iste multo inferior sit Elia, in uno tamen hoc facto utriusque sibi respondet æqualitas.

8. Item alias, dum per inaquosa campestria graderentur, et tam fervore diei quam et itineris labore confecti, intolerabilem sitis paterentur angustiam, vir sanctus, sui securus periculi, cœpit salutis comitum plus timere. Mox iusa cum lacrymis oratione, tota fiducia conversus ad Dominum, baculo quem tenebat, terram percussit. Secutæ sunt aquæ continuo salubres et lucidæ, quæ non solum sitientibus sufficerent recreandis, sed etiam novi fontis venam perpetuam ebullirent. Nam, ne facti memoriam delere posset oblivio, eidem fonti Gualterii nomen impositum, usque hodie manere perhibent, qui viderunt. O quanta est fidei virtus, cui vel ipsa naturæ impossibilitas non resistit! Jam si antiquum percussione per Moysen in eremo factæ respiciamus miraculum, salva majestate mysterii, non longe impar videre potest similium rerum collatio: nimirum diversis temporibus, sub duobus ac dissimilibus Testamentis, operatur similia idem Dominus utriusque. Conferamus aquam aquæ, baculum virgæ, petram aridæ; respondeat sitiens sitiens,

(81) Scilicet a successore aliquo dicti B. Israelis.

(82) Habetur accuratissima regiminis Aurelianensis tabula: ubi ad rivi cujusdam confluentem in Vi-

gennam notatur Confluentem vulgo dictus locus, ex Latino Confluentii nomine, una duntaxat leuca remotus a Stirpensi abbacia ad occasum.

ictus ietui societur, invicem sibi alludat causarum A
et locorum æqualitas.

9. Nec multis interpositis diebus, cum forte socii contra morem sexta feria carnibus vescerentur (quippe quibus quotidiani laboris intentio ratione dierum excusserat); repente superveniens negligentiam eorum corripuit, cur exterioribus tantam necessitatibus occupati sacræ diei reverentiam non cavissent. Sed cum omnes confusos videret, et cordis poenitentiam lacrymis protestantes, fraterna motus compassione: « Nolite, inquit, nimium contristari, veniale est enim quod nescienter egistis. Clemens Dominus ignorantie vestræ providit, dum, si quid culpæ fuit; præsens excusat solemnitas. Nam hodie beatissimi confessoris Martini festum noveritis celebrari. Quapropter in sanctæ charitatis fiducia vos adhortor, ut coeptas epulas sumatis intrepidi. » His dictis, ipse carnes appositæ prælibavit ut eorum metum facti sui auctoritate firmaret. Omnibus ergo cæteris incunctanter obtemperantibus, unus tantum exstitit: qui non tam religionis amore, quam obstinacia superstitionis resisteret, et ad consentiendum nulla posset ratione adduci. Sed hæc ejus consequenter est notata rebellio, ut evidenter omnibus, quanti esset charitas, appareret. Ipsa etenim die aurum totum, quod secum pro viatico deferabat, amisit. Quod justo Dei factum constat iudicio, ut qui charitatis cibum solus respuerat, necessarii victus pretio privaretur et solus. Sed, postquam damni admonitione correptus, culpam agnovit, et se peccasse confessus est; vir sanctus verbis milibus ejus consolatus tristitiam, securum B viam carpere cum sociis jubet, cuncta se ei perditacito reformaturum promittens. Denique solus ipse per aliquantum reversus itineris, repertam sine mora Dei voluntate pecuniam reddidit possessori.

10. Quartum quoque recitare placet miraculum, quod supra memoratis non longe videatur inferius. Cum forte juxta mare viantibus sedem in arena ponere nox ingruens suasisset, turbato repente cælo, nimborum tempestas inhorruit, ut vel si domibus legerentur vix tegulæ possent defluentium pluviarum injuriam propulsare. Illic vir patientissimus, cum cæteri prout possent sibi quisque consuleret, eodem quo manserat loco persistens, solito se orationis scuto protexit. Ad cujus petitionem, misso C cœlitus inauditæ magnitudinis et ignotæ speciei folio, herbæ incertum an arboris, an forte neutrius, mirantibus omnibus, non solum a pluvia se defendit, verum etiam ex eodem stratum sibi molliissimum præparavit. Nec vero poterat aliquo sobesse fortuiti eventus suspicio, in tanta præsertim divini muneris novitate, cum nec parvis quidem vel herbis vel arboribus arenosæ illius soli sterilitas nutrimenta præstaret. Hæc ergo et alia, postquam reversi qui viderant, divulgaverunt, brevi per totam Aquitaniam celebre sanctissimi viri nomen enituit.

CAPUT III.

Stirpensis rectoratus et reliqua gesta cum pia morte.

11. Sub idem fere tempus Stirpensis Ecclesiæ rector decesserat, unde factum est ut a clero ac principe regionis Amardo, summæ virtutis viro, ejusdem Ecclesiæ curam suscipere multis precibus rogaretur. Sed cum obnixè resisteret, nec illi tamen cessarent a precibus, ne confusos omnino remitteret, diem statuit, ad quam eis ex consilio responderet. Die statuta, dum se humiliter excusaturus revertitur, dissentientibus tamen clericis quibusdam ac militibus qui secum ibant, quibus magis ut consentiret placebat, subito avicula quædam, quam rapax qui dicitur Nisus urgebat, ad ipsum mortem evasura confugit: quam ipse libenter colligens ab instanti periculo liberavit. Tum vero illi rapta occasione instare vehementius, affirmantes Deum manifesto signo de ipsorum sententia judicasse: quo videlicet signo palam esset probatum, quod deesse periclitantibus non debere. Sic a Stirpensis clericis ac suprascripto principe paulo minus compulsus, ne divinæ voluntati contraire videretur, gaudentibus cunctis, curam quam rogabatur suscepit (83).

12. Jam vero in regimine positus, qualem se gesserit, vix exsequi verbis quisquam potest. Neque enim versa est illi, ut quibusdam solet, prælatio in elationem, nec sibi pro dignitatis loco in vestitu aut victu amplius aliquid aut melius usurpavit; imo vero multo nunc parcior ac modestior, quo majorem adeptus esset licentiam, eo sibi minus licere intelligebat: propterea quod in eminenti positus, sicut pluribus prosunt virtutes, ita vitia plurimum nocent. « Non igitur quasi dominans in clero, » sed secundum Apostolum, « forma factus gregi ex animo (1 Petr. v, 3), » amore magis ac benignitate, quam terrore vel suppliciis ad bene agendum subditos incitabat, gratiorem Domino judicans voluntariam devotionem, quam coactitiam servitutem: illa enim ex libera charitate procedit, hæc vero timor servilis extorquet. Neque tamen ubi opus esset zelus illi deerat, aut competens in rebelles districtio: sed tandem hæc et necessario velut ferrum et ignem adhibebat, ne forte pars neglecta patredinis, serpendo latius, partes integras vitaret. Sed quoniam hominis perversitas sub tanto duce invita Domino militaret, cujus et doctrina pelleret ignorantiam, et vita præberet exemplum, et oratio præstaret auxilium. Hæc etenim tria commisso gregi Pater optimus providebat, ut instruiti prædicatione, exemplo animati, oratione adjuti, contra hostem antiquum pugnare et scirent et vellont et possent. Præterea tanta circa singulos sollicitudine vigilabat, ut pro cujusque vel natura vel ætate conditione competentem cuique curam adhiberet, more optimi cujusdam medici, qui, unde alius adjuvetur,

(83) Anno 1038, ut ex obitu et annis regiminis constat.

alium noverit lædi, et unde iste sanetur, illum porclitari non nesciat. Omnibus ergo et singulis congrua providebat, omnibus omnia factus erat, et tot de se, ut ita dicam, homines faciebat, quot diversitates exhibebat hominibus. Inter vitium et naturam tam subtiliter discernebat, et in eadem persona sic alterum segregabat ab altero, ut nec isti parcendo illud foveret, nec illud proseguendo istam contereret. Nullius vel infirmi necessitatem neglexit, nulli opem postulanti non adfuit. Omnium incommoda per compassionem sua fecit: prospera omnium per charitatem suis lucris annumeravit.

13. Inter hæc abstinentiæ sectator fortissimus, eleemosynarum distributor largissimus, famelicos jejunos reficiebat, nudos algens operiebat, tecto carentibus conducebat hospitia, stipendiariis pretia conferebat. In alios omnes propitius, in se unum difficilis, quod omnibus aliis impendebat, sibi soli negabat obsequium. Imo vero, quasi non esset magnus jamdudum corporis triumphator, carnem suam cilicio terebat assidue; et quod magis videatur insolitum, intempesta nocte consurgens, nudatum in ecclesia corpus verberibus exponere; non quod aliqua sentiretur, sed ne qua sentiri posset afflictæ carnis rebellio: quod ut occulte fieri posset ac crebro, fidum sibi tortorem pretio conducebat. Nec sola egentibus, ut dictum est, corporis necessaria ministrabat; sed multo magis de animarum salute sollicitus, quoscunque posset, lucrari Domino satagebat. Corripiebat justus in misericordia peccatores, suscipiebat in indulgentia penitentes: siquidem, pro suæ merito sanctitatis, a Romanæ sedis episcopo Victore (84) potestatem acceperat (85), etiam de criminibus judicare, et penitentibus ecclesiam pro suæ discretionis arbitrio vel claudere vel aperire. Hæc ergo licentia in multorum utebatur salutem; hæc licentia plurimos, sub gravi jam criminum onere desperantes injunctione portabili ad veniam spem erexit, et extraxit quasi mortuos de sepulchris. Nonnullos torpentes negligentia, et nimium de venia præsumentes, hæc eadem potestate velut sequestrandos conterruit, et excitavit quasi dormientes de somno. Fidelis servus et prudens, quem constituerat Dominus supra familiam suam; fidelis plane, qui non sua, sed Domini sui lucra quærebat; nec suam laudem, sed Domini sui cogitabat honorem. Plane fidelis, qui Dominicæ veritatis pecuniam non abscondens, libere omnibus præcepta Domini prædicabat; nec quemlibet potentem et divitem, timore pœnæ vel amore præmii, in suis palpabat iniquitatibus. Præ-

terea fidei catholice assertor invictus, hæreticis ac Judæis, auctoritate loquentis in se Spiritus, cito silentium imponebat. Erat etiam prudens, quoniam in doctrina non solum personam, sed et tempus considerabat et locum.

14. Quantæ autem longanimitatis, quantæ fuerit inter adversa constantiæ, hostiles olades et bellorum incendia probant, quibus per principum dissensionem, non solum ecclesia ipsa sacrilega combustione deleta est, verum etiam magna pars populi cum toto pene clero eodem igne consumpta. Siquidem princeps terræ, nomine Gordianus, renitente ac reclamante beato viro, ausu nefario, ipsa ecclesiæ septa communiæ, impositoque armatorum præsidio crebris incursionibus finitimos devastabat. Hæc causa fuit, ut iniquorum merito locus immeritus ab hostibus cremaretur. Sed cum nec sic memoratus princeps pravam intentionem deponeret, relictisque munitionibus, inter sacros quondam parietes priora sacrilegia exercebat, divinis tandem terroribus, per horrendas noctium visiones expulsus est: accitoque sancto, qui non longe inde cum paucis discipulorum, qui incendio superfuerant, latitans divinam elementiam exspectabat, jurat se nihil tale deinceps præsumpturum, purgatoque parietes beato viro restituit. Qui acceptæ calamitatis ærumnam, non ad causam desperationis, sed ad meritum probationis convertens, restaurationis opus summo studio aggressus est, obnitentibus quibusdam episcopis, qui locum sanguine et cæde pollutum sacrari ultra non posse contenderent. Sed obtinuit tandem beati viri sana sententia, non solum synodali episcoporum approbata decreto, verum etiam litteris apostolicis confirmata. Opus ergo ceptum strenue consummavit, invitatisque vicinarum urbium episcopis; dedicationis festum cum summa gloria celebravit. Deinde in locum absumptorum clericis substitutis, priorem ecclesiæ statum et numero auxit et merito; de tribulatione virtutis sumens materiam, ut merito fortunatum infortunium putaretur, quod ad majorem loci gloriam contigisset.

15. In adversis ergo probatus et prosperis, in his cautus et humilis, in illis vero fortis et constans, in utriusque merito sanctitatis imitabilem se ostendit. Cedrus erat Libani, firmis hærens radicibus. Domus erat Domini, supra firmam petram bene fundata. Inundavit fluctus, irruit ventus, et permansit immobilis. In hoc itaque tenore Domino auctore commissam sibi triginta octo annis rexit Ecclesiam, ut nulla tardaretur eventuum varietate sed semper

(84) Hic est Victor secundus, qui sedit ab anno 1054 usque ad an. 1057.

(85) Hæc potestas excommunicatos absolvendi aut pertinaces excommunicandi videtur extraordinaria ac plane personalis fuisse: non solum autem hæc non transivit ad posteros; sed etiam pro ordinaria ipsis mota est quæstio, cujus meminit Ivo Carnotensis epistola 60 inscripta: Galterio, Stir-

pensis Ecclesiæ præposito: qui graviter ferebat, quod Lemovicensis episcopus interdixit omnibus regularibus clericis et regimen parochiarum et confessionem penitentium. Scripsit ista Ivo jam episcopus Carnotensis, consecratus ab Urbano anno 1091, id est 21 annis post mortem S. Gualterii, qui occasione dicti Galterii, perperam Galterus et Galterius scribitur.

bonis meliora, melioribus adjungeret optima. Non illi aut senectutis imbecillitas, aut plaga nocuit cæcitatæ, qua ejus patientia septem ante obitum annis probata est, quo minus prioris abstinentiæ legibus inserviret. Sed neque diuturnæ cursus prosperitatis, nec signorum frequens ostensio, quibus in mundo late diuque claruit, aliqua ejus animum vanitate tentavit; sed semper inter miracula humilior, inter secunda limidior, inimici laqueos duce Christo contrivit.

16. Et exteriora ejus miracula partim attingi, partim prudens prætereo. Ut de muliere dæmoniaca, quam Vercelliano (86), in ecclesia Mariæ Magdalensæ, præsentis populo, die sancto Paschæ purgavit. De alia item nobili ac religiosa matrona, cujus obitum longe positus per revelationem cognovit. Hæc ergo prætereo, ne in talibus summam videar possuisse. Illa vero quæ spiritualiter est operatus miracula, nec præteriri debent, quia dignissima; nec explicari possunt, quia innumera. Si enim quemadmodum in corpore morbi, sic vitia esse noscuntur in anima, qui innumerabiles vitiosos correxit, utique innumerabiles morbos fugavit. Et, si periculosior ægritudo gloriosorem facit curationem, tanto utique majorem meretur laudem vitiorum sanatio, quanto gravius animæ periculum quam corporis esse dignoscitur. Itaque pater sanctus spirituales maxime fugare studuit ægritudines, et spirituales maxime tribuit sanitates: superbis humilitatem, lascivis castitatem, prodigis contulit parcitatem, largitatem avaris, mansuetudinem iracundiis, luxuriosis abstinentiam, tradidit, invidis charitatem restituit. Sed in singulis quid moramur? Enumeret remedia, qui numerare potest incommoda, vel qui non potest ægritudines, nec numerare cogitet sanitates.

17. Nunc ad ejus transitum veniamus. Jam bonus miles in tabernaculo Domini usque ad senectutem habitaverat, ingressusque sine macula, et operatus

(86) Vercelliacum, alias Vezeliacum in Burgundia: quomodo autem Eudo primus loci abbas illud dicatur ab Aquensi territorio attulisse corpus san-

A justitiam, dignus erat accipere missionem, et requiescere in monte sancto ejus. Correptus ergo febribus exoptatis, sensit Domini eum pulsantis adventum; convocatisque discipulis, imminentem eis sui obitus diem lætus prædixit. Consolatusque morrentes et ad meliora cohortans, ut et moriendi ordinem demonstraret, quibus vivendi formam traderat, induci primum presbyteros ad sacram sibi unctionem fieri postulavit. Deinde percepta cum summa cordis et corporis humilitate eucharistia, exutus linea, oilium, quo semper ad carnem utebatur, aperuit; cujus facti ratio, cum a circumstantibus quæreretur: « Nudus, inquit, cum nudo debet luctari, ne habeat unde possit teneri. » Sic in ecclesiam a fratribus deportatus, et ante altare matris Domini depositus, exitum suum in cinere et cilicio, erectis ad Dominum mentis oculis, expectabat. Flebant cum silentio qui aderant, et orabant, et in auribus ejus, ut jusserat, sacra lectio resonabat. Cumque lector ad extremam libri clausulam pervenisset, qua dicitur: « Finem loquendi omnes pariter audiamus, Dominum time et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo (Eccle. xii), 13), » congruo satis eventu, cum fine loquendi vir sanctus finem fecit vivendi: perrexitque (87) ad Dominum, quem vere timuerat, cujusque mandata observaverat, ad quod procul dubio omnem hominem constat esse creatum. Sed quanto putamus lectionis et orationis studio vivens inhæserat, a quo nec moriens potuit abstinere? aut quando a prædicatione cessavit, qui et in exitu edificatorias sententias proferbat? Corpus ejus cum magna populorum frequentia in eadem ecclesia honorifice sepultum est, ubi usque hodie requiescit: ad cujus sepulcrum multa fiunt miracula, multa fideliter petentes accipiunt beneficia, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivi et regnat per omnia sæcula sæculorum.

cæ, pio furto sublatum, anno 849 dicitur ad ejus diem 22 Julii.

(87) Anno 1070, 11 Maii, ut supra probatum.